QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimâ Martii 1711.

M. URBANO LEAULTE', Doctore Medico, Præside.

An nutriendorum ægrotantium alia quàm os via?

I.

GENERATUR corpus & nutritur. Nutritio perpetua generatio est. Functionis utriusque causa eadem, motus; materies eadem, sanguis. Utraque partium evolutio est. Nec nimio vetustatis amore delusus fingas ex seminibus efformari in utero partes, sanguine inde nutriri; quasi semen in generationem corporis, sanguis in ipsius nutritionem cedere valeat. Humor innominatus, ros, gluten, cambium, splendida verba. Ad populum phaleras corpus humanum septimo quoque anno in naturam planè diversam immutari? Hanc concipe generationis & nutritionis legem. In ovo creatæ partes continentur. Partium nomine tubulos & canales intelligas, non liquores in ipsis inclusos. Ubi seminali aurâ explicantur, generari; ubi à sanguine ampliantur, nutriri & crescere dicas. Non aliunde quàm à majori vel minori fluidi copiâ & elasticitate, incrementum aut decrementum repetas: continuò avolant sanguinis particulæ illicò reparandæ. Hinc alimenti necessitatem probaverunt veteres, sentierunt neoterici.

266

II.

PROXIMA nutritionis materies, ſanguis: remota, chylus: remotiſſima, alimentum. Chylum intellige liquorem quemlibet, modò ſanguinis naturam redolere poſſit. Nec albedinem ſemper in eo requiras antiquorum religioſior alumnus? Colorem indagare mittas? Chyli accidens eſt, non eſſentia. Nec veſti fidas? ſanguis fiat? ſatis eſt. Ad hocce munus à naturâ deſtinata ſunt organa: ore aſſumpta edulia, in ventriculi cavitatem delapſa, ſolo partium motu reciproco, ac triturâ, abſque ulla fermentationis ope dividuntur, atteruntur & comminuuntur, unde chylus. Hic in inteſtinis cum bile & ſucco pancreatico mixtus, ac dilutus, per venas lacteas, canalem thoracicum, ad cavam uſque perducitur, in ſanguinem immutandus. At, ſi hæc omnia deſint, nùm alimenti penuriâ deficient partes? alia quæras naturæ præſidia, quibus ſanguinis jacturæ reparandæ idoneus in vaſa admittatur liquor? intentum habebis. Multiplici fidium genere inſtructum decet arcum in manu prudentis.

III.

NON ore ſolo corpus alimentum ſubit: docet fœtûs nutritio. Non ſolæ venæ lacteæ in gracilioribus inteſtinis contentæ, non unus canalis thoracicus, cocta digeſtaque alimenta in molem ſanguineam deferunt. Trita quidem & expedita via eſt: fatemur. Sed non una Appia via Romam ducit. In Angina, in affectibus ſpaſmodicis æſophagi, faucium, linguæ, in quibus ad ventriculum cibi potûſque omne præpeditur iter, pabulo depauperata rueret machina, niſi omnibus providiſſet natura prudentior. Quot eduliis ab ipsâ ſuppeditantur aditus? Vide-ſis in craſſioribus inteſtinis? En, adſunt vaſa lactea. Adde quod, quot cutis pori,

quot venæ, quot vaſa lymphatica, tot tramites, tot venæ lacteæ, tot canales quibus permittitur ad ſanguinem ingreſſus? Perpetuò à centro ad circunferentiam per arterias advehitur purpureus latex; per venas datur à circunferentia ad centrum reditus. Hinc compertum habeas alimentorum alibiles partes venarum oſtiola ſubire poſſe, ibique cum ſanguine miſceri. At, inquies, en alimenta, en ſemitæ, ſed ubinam chylus? Deeſt χυλώσεως organum, ventriculus. Nec ille ſolus aſſumpta edulia in chylum vertit. Arte inchoabitur, perficietur ſanguinis motu, partium tritu, aëris permixtione.

I V.

QUOT partes in corpore, tot ventriculos reciproco oſcillationis donatos motu, ſedulus veritatis indagator exiſtimes? Hinc natura ſagax ſingulis partibus genium & indolem ſanguinis particulis ſubigendis indidit, ut circuitûs motu, in quo generatio & nutritio præcipuè poſitæ ſunt, in ventriculi laborantis ſolatium venirent, ejuſque adimplerent vices. Sic eâdem & unicâ mechanices lege, quâ edulia ſemel in ſtomachum protruſa attenuantur & conteruntur, eâdem quoque in quavis corporis parte, nullâ ventriculi actione prægreſsâ, ſimilem χυλώσεως μεταμόρφωσιν patiuntur. Chylus enim à ſiniſtro cordis ventriculo in vel remotiſſimas corporis partes propulſus, machinæ hydropneumaticæ ſuſtentandæ ineptus omninò cenſeretur, niſi ſyſtallico unius cujuſcumque canalis motu ulteriùs eundo perficeretur. At experientiæ cedat ratiocinium. Dubium & controverſiam reſpuunt facta. Milites in annona aut urbibus obſeſſis, omni alimentorum orbati familiâ, ſolâ cum maſticationis, tum ore ductionis tabaci ope, ad longum temporis intervallum illæſi vixerunt. Hinc patet ex ipſa ni-

cotiana nonnullas in molem ſanguineam per inſpirationem tranſmigraſſe partes reparando ſanguini idoneas. Quî etenim per tantam ſpatii intercarpedinem vitæ incolumes degiſſe potuiſſent? Quin etiam gratis odoribus recreatam facultatem naturalem aliquandiù ſubſiſtere omnibus notum eſt. Verſatiſſimos inſuper in arte conſulas? Docebunt te ſæpè ſæpiùs ſe per triginta dies & ampliùs enematis, balneis, emplaſtris nutrientibus ægrorum naturam labaſcentem erexiſſe: ægrotantem igitur variis modis nutriri poſſe diſcas?

V.

NON itaque ita gloriosè de ſe prædicet ventriculus? nec ſe ſolum partium omnium parentem & altorem dicat? Hoc à natura recepit munus: conceditur. Verùm ubi officio deeſt, non deeſt ſupplementum. Ars nonnunquam naturæ complementum eſt. Abſque ipſius ope alimenta chyli indolem referunt. Ipſorum ſuccus igne & aquâ digeritur. Stomachi vices gerit olla. Nec deficiunt viæ, ut purpureum laticem ſubeat elaboratus hicce chylus. Non deſunt venæ lacteæ in craſſioribus inteſtinis. Tranſitum præbent cutis pori; inſpiratio. Non ergò evaneſcat ſalutis ſpes, ſi ventriculus impotens vel iners, ſi nullum os inter & canalem thoracicum interveniat commercium? Paretur balneum nutriens, juſculum per anum exhibeatur, deperditæ reſarcientur ſanguinis moleculæ, ſicque nova ſuppeditabitur nutritionis materies.

Ergò nutriendorum ægrotantium alia quàm os via.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA THOMAS MARTINENQ Pariſinus, Baccalaureus Medicus.
A. R. S. H. 1711.

Apud viduam Franciſci Muguet Typographi Regis. 1711.